

Uochitz:  
De v. ist La-  
tore navium  
gentium neu-  
tarum per-  
ficiens.





15

S C H E D I A S M A  
IVRIS GENTIVM  
DE  
VISITATIONE NAVIVM  
GENTIVM NEVTRARVM PARTIVM  
A V T O R E  
AVGVSTO GVLHELMO BERNHARDO  
AB VCHTRITZ  
EQVITI MISNICO.

---

LIPSIAE,

LITTERIS LANGENHEMIIS HAERET. ET KLAUBERTHIIS.



Kt 1033



DOMINIS GENEROSISSIMIS  
AD  
ORPHANORVM PIAM CVRAM  
IN  
CIRCULO BVDISSENSI LVSATIAE  
S V P E R I O R I S  
D E P V T A T I S  
BENE MERENTIBVS  
MAECENATIBVS OPTVMIS  
MAXVMIS.



QVO  
STUDIORVM SVORVM RATIONES  
REDDERET

HOC  
SVAE DOCTRINAE  
SPECIMEN MONVMMENTVM  
**GRATITUDINIS ET PIETATIS**

NEC NON  
SVMMMAE OBSERVANTIAE  
S A C R V M  
ESSE IVBET  
AVGVSTVS GUILHELMVS BERNHARDVS  
AB VCHTRITZ  
EQVES MISNIC.



DE  
VISITATIONE NAVIVM  
GENTIVM NEVTRARVM PARTIVM.

---

§. I.

**A** quo tempore moratiores, quas dicunt, gentes omnem rerum publicarum prope salutem atque felicitatem in *commerciis* et *mercatura* mediis opes pecuniasque quaerendi, potentiamque, ut putant, augendi posuerunt, ab eo tempore innumerae controuersiae et lites, tam inter priuatos ipsos commercantes, quam inter liberas gentes exortae. Imo Scholae eruditorum sese, ut solent, his litibus atque controuersiis immiscuere easque in varias partes traxerunt, quaeque iurgia lucrandi studium produxit, haud raro eruditorum contradicendi cupiditas auxit. Inter tot innumeratas doctorum controvirschas, ea, quae de *mercibus licitis* et *illicitis* enata, aliis novisque quaestioneibus ansam praebuit. Equidem non nego, me hactenus in *iure Gentium* hanc mercium distinctionem con-

A 3

coque-



coquere non potuisse. Posita enim notione *libertatis* et *aequa-  
litatis*, quae Statum Gentium determinat, nondum eruere potui-  
argumentum; ex quo probarem, Gentem aequa liberam at-  
que aequalem alteri praescribere posse norman, quibus mer-  
cibus sibi lucrum quaerat, et quibus non aequa illa quaerendi  
lucri licentia libera sit.

### §. II.

Evidem hanc controuersiam meam non faciam, nisi in  
quantum ad propositam illam de nauium gentium mediarum  
visitacione facit. In tantum ergo argumenta de illicitis mer-  
cibus paululum examinabo. Prouocant plerumque ad vsum  
communem inter gentes receptum. Bene! Verum ergo est,  
gentes Europeas res quasdam, vt arma aliaque belli subsidia  
illicitas habere merces. Sed appage propterea omnem op-  
inionem gentiumque agendi vsum iustum putas. Ita sen-  
tiunt gentes, ergo iuste sentiunt! quis ita concluderet? Pro-  
fecto multa fiunt de facto, quae de iure aliter fieri deberent.  
Passae sunt Gentes liberae olim ante Grotium magnum illum  
iuris Gentium reformatorem et iuris prudentiae iuris Gentium  
conditorem, vt lites atque controuersiae inter eas exortae ex  
Iustinianeo iure et ita ex ciuilibus legibus Romanorum age-  
rentur, defenderentur, imo deciderentur. Quis nostrum di-  
cat hodie, hoc recte factum? Fit haud raro, vt ius faciat er-  
ror et ignorantia, quod tamen non est verum ius, sed erro-  
neum, imo quod, depulso errore, cessat esse ius. Neque ex-  
inde argumentum ducerem, quod quaedam res ad nocendum  
comparentur, quarumque primarius vsum sit in bello, quare  
eas inter merces illicitas retulerunt. Sed eas ipsas merces  
illicitas demum habebis, si bellum inter duas existit gentes.  
Nam quis Suecos illicitarum mercium commercantes accusa-  
bit, qui pacis tempore tormenta bellica ferrea vendunt?

Ven-

Vendant vero, exorto inter Anglos et Gallos bello, his illas bellicas machinas : Statim Anglos accusatores habebis, qui Suecis litem de illicitis mercibus venditis faciunt. Sane pendeat ergo rerum mearum libera venditio ab aliorum hominum, qui mihi aequales sunt, iurgiis et litibus ! Vix est, vt, si libertatem et aequalitatem iudicemus, ego, qui nullam facio partem, eandem ex eorum, quibus nullum in me competit imperium, agendi rationibus emetiar. Quid mea interest, quod Titius cum Caio rixas habeat seque inuicem hostes tra-  
tent. Vterque mihi potest esse amicus, et, si commercari ha-  
denus solitus fui cum Titio, quaecunque sint res : quo iure Caius, qui mihi aequalis, cuique in me nullum competit im-  
perium, praetendit, ne amplius cum Titio commercarer,  
quia hostis factus Caio. Quid hoc ad me. Ego qui liber, et  
aequalis sum, a nemine normam agendi mihi praescribi patiar.  
Neque laefio erit, quod forsan nocendi instrumenta vendam,  
dummodo iis commercari adstinet, vel meo artificio parantur.  
Quod enim dein alter his vtatur instrumentis, vt alteri  
noceat, facti est. Quid ! si emisset pacis tempore ? quis  
mihi postea imputet, si belli tempore aduersus alterum iis  
vtatur ?

## §. II.

Non nego, hosti in hostem ius esse, eripiendi instru-  
menta nocendi, non minus ac reliqua bona et conseruandi  
media. At propterea non sequitur, omnem, qui arma, aut  
alia ad instruendum bellum media vendit, propterea prodere  
animum hostilem. Fac Anglos et Gallos inuicem hostes.  
Amica sit utriusque nationi gens Bataua. Pyrium solent vende-  
re puluerem Bataui. Vendunt Gallis. Neque causa est,  
cur non vendant, quippe quod Angli et Galli inuicem sint  
hostes. Ni velint, vt vendant Gallis, emant Angli ; aequale  
enim



enim ipsis ius est, et laesio esset illata Anglis, si volentibus pyriū puluerem nollent ipsis vendere Bataui. Seruanda enim est aequalitas, vt, quod vni iustum, alteri iniustum esse nequeat, imo, quod vni praefetur, alteri aequali non negetur, et nihil interesse potest, vtrum pretium mercium suarum consequantur Bataui ab Anglis, an a Gallis. Quae cum ita sint, facile patet, non esse illam, quam Gentes vulgo alunt, opinionem iustitiae naturali consentaneam, qua bellum gerentes inter se, aliis gentibus neutrarum partium legem scribunt, ne merces, quas illicitas, vulgo *contrebant* vocant, bellum gerentibus vendant. Vendant itaque Bataui pyrium puluerem Lusitanis, Suecis, Danis, dummodo non Gallis vendant, aut Anglis. Quam absurdia haec omni aequalitatis et libertatis notioni contraria opinio! Vnde veniat illud ius, quo, si a Bataua illicitae merces ferantur Gallis, Angli eas vi auferre sibiique retinere possint, quasi fisco addictas. Re accurate perspensa, patet, haec, quae inter gentes agendi ratio seruatur, origines *civili* deberi *iuri* applicato inter gentes, quod olim ex gentium superstitione commune omnium hominum habebatur ius, vt haud dubitarent, quin et personarum illustrium et liberarum gentium lites ex eo romanorum iure deciderent.

#### §. IV.

Quodsi vero inter quasdam gentes pacta inita, quibus se iniicem obligarunt, vt, exorta inter vnum pacifcentium cum alia gente bello, a venditione certarum mercium abstine-re velint; dubium non est, quin tunc venditio mercium illarum ob vim pacti illicita sit atque iniusta, imo laesio exinde oriatur, si contra datam fidem nihilominus commercium cum alterius hoste habeat. Sed haec ita, si pacta adsint, ex quibus tamen alia gens, quae pacta non est, haud obligatur, sed vtitur libertate et aequalitate in vendendis suis mercibus, dum modo non

non fiat hostili animo. Hic vero hostilis animus facile exinde iudicari poterit, si ea gens tales merces, quas vocare solent illicitas, alias vendere non solet, nec inter eos habet prouentus, quos commerciorum constituit obiectum. Cum itaque eo facto simul se quasi laudentem constituit respectu vnius bellum gerentium, cum alteri suppetias fert animo hostili, non commercandi consuetudine, non iniustum erit, si tanquam hosti quoque ea ad hostem deferendae merces illicitae eripiuntur.

### §. V.

Sed haec gentium mores de illicitis mercibus haud vendendis hosti, atque earum quasi confiscatio, aliam produxit consuetudinem agendi inter gentes, videlicet *visitandi naues* deprehensas in mari, vt, an merces ferant illicitas, nec ne, appareat. An haec visitatio cum strictis naturae legibus conueniat, quaestio est, quam quidem plerique affirmant, et affirmanter, quod moribus gentium ita fieri soleat. Sed ex hoc argumento non iudicarem, quippe ex facto, quid iustum iniustumue sit, diiudicandi, non videtur rectus modus, quippe potius facta secundum ius diiudicanda, utrum cum eo conueniunt, an legi contraria. Lex itaque prius eruenda, et dein ad factum applicanda, seu iudicandum ex lege factum. Videamus itaque, quid de illa visitatione nauium de iure stricto statuendum.

### §. VI.

Diximus, in facto fieri, vt gentium naues ab aliis visitentur: hinc facti nulla quaestio. Bene vero querendum: an recte fiat et iuste. De nauibus hostium, sive sint bellicae, sive mercatoriae, nil est, quod moneamus. Cum enim in hostem hosti cuncta sint licita, quis dubitat, posse hostium occupare naues hostem, et inutilis erit de visitantis hostium

B

nauis-

nauibus disputatio. Neque quidquam infererit, an sint naves hosti propriae, an ex conducto iis vtatur. Cum enim locatori incognitum esse nequit, hosti in res hostium perfectum eripendi competere ius, sibimet imputet locator, quod usum nauis suae hosti locauerit. Locando enim nauem, simul videtur consentire in omne id, quod hosti in hostem licet. Sed nolim tamen, haec intelligantur de ea locatione, qua mercium tantum transferandarum operae locantur, non aequa tota nauis. Intelligenda ergo erunt, quae ante diximus, de nauibus locatis hosti et ab hoste possedit, seu quarum cursum et defensionem curant conductores alterius gentis hostes.

### §. VII.

Quid vero sentiendum, si vnius gentis hostis interueniente locatione conductione merces quis neutrarum partium transportandas de loco in locum suscepit, simulque cum aliorum non hostium mercibus suam nauem oneravit: an et alteri genti hostium licitum sit, nauem locatoris illius, qui gentis neutrarum partium membrum est, visitare. Exemplo clarioriem rem faciamus. Fac: Gallos mercatores cum domino nauis, qui Daniae ciuis est, contraxisse, ut merces Gallis proprias sua nave impositas Vlyssipolin transferat. Occurrat huic nave inter alias merces etiam ex locato gallicis mercibus onustae nauis Anglica, quaeri potest: an recte visitet nauem Danicam et Gallicas inuentas merces auferat?

### §. VIII.

Si ad id respicimus, quod fieri videmus atque in nouellis factum esse legimus, vix dubium esset, recte visitari nauem hostisque Galli res ab Anglo auferri posse. Sed cum multa inter Gentes fieri solent, quae quidem magis ex utilitatis propriae ratione, imo non raro ex praconceptis opinionibus per-

agun-

aguntur, nollem ex facto iudicare, sed potius factum ad leges examinare. Quare arbitror, de iure hosti non competere posse ius, auferrendi res sui hostis, quarum transportacionem locatione et conductione interposita alia gentis neutrarum partium nauis suscepit. Quo enim iure prohibeat Anglus, quo minus Danus amicus Angli, amicus Galli, cum hoc contrahat, sibique ex nauigatione lucrum quaerat? Inter eos, qui perfecte aequales sunt, nullus alteri imperat, neque alterius actiones dirigit atque determinat, dum modo non concurrat factum laesisionis. At locatio ea cum uno hostium inita, pro facto turbatio haberi nequit, quippe destituitur alterius prohibendi, ne nauem, locet hosti; hoc enim esset imperii magis. Si ergo nullum habet ius prohibendi hostis Anglus, ne alter, qui neutrarum partium est Danus, contrahat cum altera gente hosti Gallo quidem, sed amica gentis contrahentis neutrarum partium, contrahendo non laedit in iure perfecto, quod non habet hostis Anglus, ergo nec eidem ex prohibendi iure competere potest ius, ut res suae fidei commissas a gente neutrarum partium extorqueat, atque eas merces hostis auferat. Posset quidem auferre res hostis proprias alter hostis, non nego; sed fiat illaesa alterius pace externa. At quomodo auferat illaesa illius pace, qui neutrarum partium est, quum simulac ab eo praetendit, ut patiatur visitari nauem, praetendit aliquid, ad quod nullum, nisi pacta praecedant, ius ei competere potest: inuolueret enim inaequalitatem atque quasi imperium in alterum aequum liberum cuique neuter hostis, bene vero vterque aequalis et amicus est.

### §. IX.

Quae cum ita sint, facile quaestio de visitatione nauium neutrarum gentium secundum principia iuris naturalis diuidi

B 2

cari



cari poterit. Si enim verum est, quod non negari potest, eum, qui alterius nauem visitat, sibi in alterum sumere ius, quod ex libertatis aequalitatisque ratione habere nequit; sumit enim sibi ius libertati et aequalitati contrarium, quasi contractuum et actionum suarum rationem reddere obstrictus es set is, qui est partium neutrarum: ergo laedit eundem visitando nauem in iure libertatis atque aequalitatis, quod ius ipsum statum naturalem constituit. At vero, aīs, visitat hostium rerum causā. Sane concedo, hosti in hostem cuncta esse licita, abripiat hosti bona quaecunque possit, deuaster urbes hostium, incendio perdat pagos, corrumpat agros, destruat sylvas, et breui, agat quidquid velit; modo illaeſa fiat pace externa tertii, qui neutrarum est partium. At iam quaero, quo iure exiget aequalis ab aequali, vt patiatur manus iūsum visitare, vtrum forsan reconditum quid habeat in eo, quod ipsem posset suum faceret? Nonne quiuis, imo, qui ex infima plebe, id aegre ferret seque putaret laesum? Obiūcīs: aliud erit inter gentes, quippe quum superiorem non habent, apud quem agere possunt ad exhibendum, ipsimet sibi remedium quaerere debent. Recte, sed quum licitum sit, in hostem agere hostiliter, propterea nondum habet ius ab eo, qui est neutrarum partium bona hostis eius fidei commissa extorquere et visitando eripere. Quis enim non videt, multum differre licitum esse, et ius in re habere. Hosti licet eripere bona, sed non habet, antequam vere occupauit, *ius in bona hostis.* Concludo itaque, si bona hostis commissa sunt terro, non habet ius in ea bona, sed hosti eripere potest; hinc si ea intentione visitat nauem eius, qui neutrarum partium est, vt res hostis eripiāt, non eripit hosti, sed amico, qui contrahendo cum alio, quod ex libertate naturali potest, amicum alterum, quamvis amici hostem, non laedit: quid enim rixae, quae inter duos vtrosque mihi amicos in-

terue-

terueniunt, ad me pertinent, qui partem non facio. Amicos nomino in tantum, quantum mihi cum neutro bellum est. Et si dicendum est, quod res est, absque dubio omnis quaestio eo redit, an locando operas suas ad transportandas merces, laedat alterum, qui hostis est illius, cuius merces transportandas neutrarum partium homo suscepere. Et haud puto, qui enim suo vitetur iure, alterum non laedit. Suo autem vitetur iure libertatis, qui contrahit seque alteri vel alterum sibi reddit obligatum, dummodo factum non sit ratione tertii turbatium, super quo ex iure libertatis paeti. At vero mercium transportatio non est factum turbatium ratione tertii, hinc nec hosti, hostis illius, cuius merces transportandas accepit homo neutrarum partium, ius competere potest visitandi nauem neutralem, cum illius haud intersit, vtrum cum Titio, an Caio, vel Maevio contraxerim, quippe mihi omnes sunt aequales. Hinc arbitror potius turbatium et iniustum factum occurrere in visitatione, quam in mercium transportatione. Quare, quamvis concedendum sit, saepius occurrere neutrarum partium gentis nauium visitationes, tamen negandum non est, gentes ea actione admodum negligere aequalitatem, quae tamen primum gentium constitutum statum, qui non nisi iniustitia commissa negligi potest.

### §. X.

Multo maior itaque erit laesio et status aequalitatis turbatio, si nauem visitet hostis bellum gerens, cuius partem non facit nauis dominus, qui non transportat merces aduersae partis visitatoris. Quis enim hunc visitatorem constituit, ut perfestiger, an pipere, allio vel placentis nauem onerauerim. Mirandum sane, gentes liberas non obseruasse hunc omnem aequalitatis atque libertatis supprimendi illicitum modum. Ais hostis visitans ideo nauis onera perfestigat, an res hostis for-

B 3

fan

fan deprehendat. Repono: nec sua interest, cui deferam merees: an sciat hostis, nec ne, cui ius prohibendi non competit, quo minus commercia exerceam cum hoste, qui mihi amicus quibus onerata mercibus nauis; dummodo non transferam nocendi instrumenta *animo hostili*, quo *mediata*, quam vocant, *laesio* inferreretur, maxime si hoc mercium genere haud solitus sum negotiationem exercere. Quod si enim nocendi instrumenta hostili transferam animo, non amplius videor esse neutralrum partium, et tunc hosti in me idem ius competit, quale in hostem competit. Visitet itaque naues, auferat, quae nocua sunt, laesio non erit, mihi enim imputem, quod neutralitatem deseruerim. Ex his itaque facile patet, quae na-  
vium visitatio licita, quae contra aequalitati et libertati contraria.

### §. XI.

Quid vero fentiendum sit, si frumenta atque ad vitae sustentationem necessaria hosti vel vendat, vel transportet: An eo facto neutralitas, quam dicunt, tollatur. Exemplo sint Lusitani atque Maroccani, si Anglis venderent frumenta versus *Gibraltar*; quaeri posse: an ea venditione hostilem contra Hispanos et Gallos prodant animum. Arbitror distinctione esse quaestionem decidendam. Si suis versus illam arcem atque in illam partem deferre velint obsecram ab Hispanis, neque tempore pacis deferre soleant, videntur utique male servare neutras partes. At, si Anglis, vel in Lusitania vel in Maurorum terra frumenta venduntur nauibus Anglorum deportanda, nec eo studio, ut in obsecram arcem deportentur, non videntur agere contra Neutralitatem, quippe nec Lusitanorum nec Maurorum, cura est, quo deferant, hoc Anglis relietum; vendunt enim, ut utraeque gentes ex superfluo suo pecunias lucentur. Et quis prohibet Hispanos, ut idem faciant, et priores coemant frumenta, ne his emtione absuntis

An-

Angli frumenta coemenda inueniant. Vendunt enim ei, qui  
pretium soluere paratus, deferat dein in quem locum velit, et  
tunc hostis est, hosti frumenta eripere. Nulla vero laesio in  
venditore quaerenda. At quid! Si Angli coemta in Africa  
frumenta naui neutrarum partium gentis imponerent, v. c.  
Danis, ut in obfessam arcem transiicerent: non dubito, quin Dan-  
nis salua Neutralitate non liceat. At si in Angliam non obf-  
fam translaturi, ex supra deducitis non astros contra Neu-  
tralitatem putem. Sed haec haec tenus. Sunt coniecturae,  
quas deditus. Essent adhuc multae questioines, quas The-  
ma expositum suppetitar, sed breuitas libelli harum exposicio-  
nem haud permittit, sorsan alia occasione accuratiore studio  
et curis posterioribus inter otia reliqua dabimus.





TK 1035

verl. K.





**Farbkarte #13**

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



D I A S M A  
G E N T I V M  
D E  
O N E N A V I V M  
E V T R A R V M P A R T I V M  
V T O R E  
L H E L M O B E R N H A R D O  
V C H T R I T Z  
I M I S N I C O .

LIPSIAE,  
MIIS HAERET. ET KLAUBERTHIIS.



Kt 4038